



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Dices, in prædictis legibus depositarius dicitur obligari solùm ex dolo, non  
ex culpâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

qui habet rem alienam in commodum solius Domini, non teneatur ad majorem diligentiam, & custodiam, quam passim adhibere solent in rebus suis homines, cum nullum commodum inde percipiat. Hinc si depositum pereat apud te sine tua culpa lata, non teneris illud restituere, nisi in his casibus. 1. Si adsit pactum de majori, vel maximâ custodiâ adhibendâ, vel etiam de casu fortuito præstando, ex l. 1. ff. *Deposit.* *Contractus enim legem ex conventionione accipiunt.* Ibid. 2. Si in culpa fuisti tecum deferendo depositum in locum periculosum, vel fuisti in mora non reddendo, cum potuisti, & debuisti, teneris ad restitutionem quantamcumque custodiam adhibueris, ex variis juribus, & cap. ult. *de Depos.* ibi: *Pactò, culpa, vel morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.* 3. Si accepisti mercedem pro deposito custodiendo, ex eodem cap. Tunc enim teneris de culpa levi: quia contractus depositi cedit in tuam, & Domini utilitatem, transitque in locationem operæ ad illud custodiendum. 4. Si te ipsum ad depositi custodiam offeras petenti diligentissimum custodem, tunc teneris de culpa levissima, l. 1. ff. *Depos.* quia tunc censeris custodiam diligentissimam promittere.

*Dices, in prædictis legibus depositarius dicitur obligari solum ex dolo, non ex culpa.*

*Resp.* In Jure lata culpa dolo æquiparatur l. 32. ff.

32. ff. *Depos.* & l. 226. ff. *De Verb. obligat.* ibi: *Magna negligentia culpa est magna, culpa dolus est.* Quare cum leges decernunt, dolum solum præstandum esse, non culpam; culpæ nomine levis, & levissima intelligitur, & sub nomine doli comprehenditur culpa lata. Cum autem statuunt in contractibus culpam esse præstandam, per culpam intelligitur, aliquando levis, aliquando levissima.

*Resp. IV.* Est obligatio in conscientia, refarciendi secundum has leges ante sententiam iudicis, damnum secutum sine peccato, sed ex culpa merè juridica in contractibus. Ita *Covar. Navar. Molin. Vasquez, Lessius* dicens esse *communioem, & alii.* Prob. Quia, qui ex contractu rem alterius accipit, obligat se saltem implicite ad eam servandam cum onere per leges annexo, & ad præstandam curam, ac diligentiam, quam leges præscribunt, cum præsertim hæ leges fundentur in naturali æquitate, & sancitæ sint propter bonum commune, ut contractus facile ineantur, & ad excitandam curam, ac diligentiam circa res alienas. Neque enim fundantur in præsumptione culpæ mortalis; nam, v. g. in culpa levissima non potest forum externum præsumere peccatum mortale, ut notat *Vasquez*, & tamen: cap. unico de *Commod.* dicitur simpliciter: *cum gratia sui quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.* Unde tunc est obligatio restituendi ex contractu, cui leges iustæ  
eam

eam annexuerunt, & quam contrahens hoc ipso, quòd contrahit, tacitè in se suscipit, cum velit, & debeat contrahere secundum leges.

*Q. 6. An qui inculpabiliter dixit, vel fecit aliquid, ad quod jus nullum habet, & ex quo impendet damnum proximo, tenetur ex justitia illud impedire, vel restituere, si non impediatur quantum commodè potest?*

*Resp. Aff. Est communis.* Quia quisque tenetur ex justitia curare ne ex sua actione veniat damnum proximo contra Jus illius, ideòque impedire, ne malum ex sua actione secutum perseveret: alioqui, qui non impedit, quantum commodè potest, censetur causa moralis perseverantiæ effectus à se positi, & damni secuti, quod proinde ei imputabitur; nam quisque Jus habet, ne ei damnum sine justa causa, & auctoritate inferatur.

Hinc qui inculpate errorem docuit, vel consilium noxium dedit, tenetur, ubi advertit, dedocere; qui inculpate res alienas incendit, tenetur, quantum commodè potest, ignem extinguere, alioqui continuatio incendii foret ei voluntaria, & moraliter imputabilis. Si tamen non posset impedire alterius damnum sine graviore, aut saltem æquali suo damno, non poterit illi imputari, sed censetur justè permitti: nam multò minor est obligatio tunc impediendi, quàm non inferendi positive damnum; cum ipsa non oriatur ex  
injusta